

Epistola exhorta- TORIA CONTRA INFI- deles, ad Illustrissimum Principem Maximilianum Archiducem Austriae, Bartholomaei Georgieuits.



SÆP E mecum admiratus
sum Princeps Illustrissime,
cur quū omnia videantur
Christianis polliceri victo-
riam, nunquam tamē eam
inter tot annos consequan-
tur. Habemus Christum
Deum, qui vnica nocte ca-

stra Sennacherib deleuit, qui Pharaonē sub-
mersit, qui cæminea manu puellæ Iudith Ho-
lophernē extinxit, & vt breuiter dicā, à cuius
numine voluntatēq; omnes victoriæ pendēt.

Turcæ contra, Mehemmetum habent, &
in vita flagitiosum, & post vitam sepulchro
sine resurrectione perpetuò inhaerentem: vt
tantum inter vtrunque numen intersit, quan-
tum inter viuum viuī Dei filium, & inter ho-
minis, & ab homine nati cadauer putridum,
adco

adeo vt in cladibus Christianorum, si natura vtriusque numinis expendatur, mortui videantur viuos armis potentia que superare. Iam cum robore corporum, dotibus animi præcellamus, quæ magna præsidia afferre videntur ad hostes profligandos, ipsi vbiq; miserrimè profligamur.

Quid Hungaro induratius? quid Germano vastius? quid Gallo procerius? Hispano solidius? quid Italo robustius? vt de cæteris nationibus taceam, quibus dotes corporis, aut meliores, aut certe æquales. Rursus si indolentiam animi spectes, quid Hungaro vulnerum periculorumque securius? quid Germano generosius? Italo sapientius? Gallo ambitiosius? Hispano callidius? quorum singula videntur posse vel dare victoriam, vel adiuuare. Sæpe vicit sine alijs viribus audacia, sæpe generositas animi, sæpe sapientia, sæpe honoris illa auida ambitiositas, sæpe calliditas: tamen me miserum, inter tot victrices res à victoria excidimus.

Iam si apparatus videas, armorumque genera, multis rationib; Turcis præstantiores videmur. Nostra inuenta sunt bombardæ, nostra tot genera panoplæ. Ipsi Persæ nudi, aut seminudi ad bella prodeunt: illis arcus, nobis sloppetæ. hoc est nobis fulmina, illis sagittæ, que per dura armorum nullam vim penetrandi habent,
cum

cùm bombardis vix vlla rupes obstiterit.

Sunt quidem nunc etiam Muslumanis sul bombardarij, sed rariores & indoctiores. Nunc quæso quas gentes secum in expeditionem trahant Scythas & Thraces, in quibus non sapientia Italica, aut Hispanica calliditas, sed inhumana quædam feritas, barbaries, animi summa inscitia, indocta, stoliditas: istis se addit Græcus ignauia perditus, Asiaticus luxu corruptissimus, Aegyptius non minus animo quàm corpore euiratus, Arabs excoctus, minutus, & exanguis. Quis à tali milite crederet Gallos ferocissimos, Germanos animosissimos, Italorum ingenia, Hispanorum solertiam vinci posse? & tamen, pro dolor vincimur: & vincimur ab his, qui in seruitutem vincunt, & serui pro seruitute bella gerunt contra nos, qui in libertate geniti à proauis, & atauis, nobis in delibata relicta.

Quòd si instituta & leges vtriusq; nationis inspicias, neq; hac in parte inferiores sumus. Quid enim Euāgelio diuinius? quid Iure canonico regularius? quid Iure ciuili sapiētius aut æquius? cùm illi cōtrà ex Alchorano viuunt, re nō minus stulta q̄ vana: qui liber (vt nunc audio) inter Christianos euulgatur, vt scilicet maturè discamus alienas leges, q̄ breui nostras amissuri videmur, vt antea animo

quàm ditione Turcæ simus.

Quid igitur in causa est, cur inter tot prærogatiuas bellandi semp in bello deuincamur? cur vexilla crucibus insignita, olim terribilia nõ minus infidelibus nationibus, quàm infernalibus spiritibus, nunc toties se in fugam auertant? Dicam paucis, & dicam verè: Deum habemus & summum & verum, sed à nobis alienatum, adeò vt prophetico vocabulo ferme appellari possimus non populus Dei. Cur enim Christus nobiscum esset, qui à nobis per tot hæreses in tot partes dilaniatur? nam præter nomen quid nobis Christianis, Christiani est? Rusticus hoc tempore & impurus & factiosus: oppidanus fallax & auarus: Magistratus sequuntur retributiones, diligunt munera, Nobilitas luxum & ignauiam: miles præter stipendium & prædam nihil ex bello quærit, securus quo sceptræ cadant, non minus infestus in suos quàm in hostes. Ecclesiastici præter pompam Ecclesiasticam vix quicquam Ecclesiæ habent, non sanctitatem, non pietatem, non eruditionem, omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Christi.

Quid ergo mirum, si talibus moribus Christi amicus esse nolit? Bellamus igitur sine Deo, & quod calamitosius, aduersario Deo apud nos circumferunt in vexillis cruces: sed ipse

CONTRA INFIDELIS.

crucifixus suo favore apud hostes versatur.

Pereunt igitur omnia, & infinitis cladibus inuoluuntur: & cum vna gens Christiana contra Turcas pugnat, alia gens vel in alijs versatur bellis, vel in ocio agit: miles qui in aciem educitur, nummo inseruit, nō Christo: si desit stipendiū, statim vel desertor, vel transfuga futurus. Quid ergo prodest ibi Italica sapientia: aut industria Hispanica: aut robur Germanicū: aut ferocitas Gallica: aut Hungarica audacia: vbi miles nec Christū, nec gloriam cogitat: & ad bellum venit, tanq̄ ad ganeum, ibi nepotationes suas exerciturus.

Bonas leges habemus, sed pessimos mores: bona arma, sed pessimos animos: iaus est si inter se acriter dimicēt: in hostē si nō acriter pugnent, vel dedecus nō est, vel certe impunitū est. Quādo quis vnq̄ audiuit militē vel ob fugam, vel ob abiecta arma mulctatum fuisse: cum olim pœnæ capitales & decimationes non singulos sed vniuersas legiones peruaferint.

Trahimus igitur exiguū numerū, eumq̄ morib. corruptū, cōtra tot myriades hostiū optima disciplina vtentiū. Nam Turca vitia sua in castris deponit: Christianus assumit, nullē in Turcarū castris delitie, arma tantūmodo & necessarius victus. In castris Chri
sua

Francorum luxus, & omnis luxuriæ com-
meatus, adest grauior turba meretricum, q̄
virorum. Latrocinatur Hungarus, præda-
tur Hispanus, potat Germanus, libidinatur
Italus, Gallus cantat, Anglus lurcatur, Scho-
tus heluatur: militem qui miles moribus
sit, vix vllum inuenias.

Quid ergo mirū si vincant illi, apud quos
sobrietas, parsimonia, cōtinentia, vigilātia;
vincantur illi, qui ab hostibus vel vagi ad præ-
das, vel inter pocula, vel in somno, vel apud
meretricē, aliasq̄ nequitias inueniātur? Sed
hæc culpa est plebeiōrū. Principes ipsi, dum
mutuis bellis se conficiūt, causam præstant,
vt nunq̄ pares vires cōtra Turcas afferam⁹.

Sed quia nunc bellum Gallicum finem ac-
cepit, sperandum quòd non solum hæresis
inter Ecclesiasticos sparsa, & omnis abusus
ab Ecclesia tolletur, sed etiam principum
discordiæ cessabunt, & tandem firma auxi-
lia contra Turcas coibunt.

Igitur facilè armabit Germania quinquaginta milia peditū, .xx. equitum. Nec minorem numerū cōficiet Italia. Idē vel aliquanto plus ex Gallia sperandum. Nec Hispania inferiores vires ad hanc expeditionē addet. Præterea ditiones Brabantia, Flandria, Hollandia, Zelandia, Frisia, vnā cum Traiectēsi, decem milia equitum & viginti

milia peditum, vel etiam maiorem numerum implebunt. Reliquiæ Hungariæ, Moraviæ, Slesii, Bohemiæ, & quidquid ad Istrum, Sarmatiam, Illyricum sinus habet, facile sexaginta milia equitum produxerint.

Quod si istis viribus in bella eatur, propitiato numine, correctis moribus, in proclivum erit vincere hostes fidei, recuperare Græciam, & Thraciam, ubi adhuc maior pars hominum Christum colit, qui audissimis votis expectant Christianorum arma, ad quamlibet occasionem defecturi, & suos dominos & tyrannos, à quibus miserrimè vexantur, oppugnaturi: quæ res sola victoriam vel dare, vel maturare potest.

Vbi autem semel victoria potiri fuerimus, patebit nobis uniuersa Hungaria, & per Danubium secundo flumine facilius licebit nobis omnes machinas & reliquos apparatus belli Constantinopolim deuehere, quàm Turcæ aduerso flumine Viennam.

Quod ubi apud Persas inauditum fuerit, ex altera parte usque ad Constantinopolim excurrent. Nec cessabunt præpotentes Reges Russiæ, & Georgianorum, quibus non minor vis, quam odium in Turcas. Nec Imperator Indiæ Ioannes presbyter otium aget, sed omni conspiratione contendet, ad communem hostem opprimendum.

HÆC ad te scribere libuit Maximiliane Augustiss. Cæsarum inclyta proles: tum quia miseras Christianorum, & illas intolerandas calamitates sub imperio Turcarum & inspexi, & expertus sum: tum quia omnes de te eam spem, ominaq; concipiunt, quòd existimant te & Maximiliani proavi tui mores, patris item Ferdinandi, & Caroli Cæsaris patru tui relaturum: quæ expectatio hominum maximè confirmatur, dum quotidie virtutes tuæ istius excellentissimæ indolis aspiciunt. Nobis igitur omnipotens Deus exorandus est, vt spem expectationemq; tui, quam ipse non frustraris, fo-

vereluo nutrine, & matu

rare velit, quò tandem Christianus orbis à tot perpetuis cladibus respiret.

16. Calend. Apr.

L A V S D E O,



ANTVERPIÆ, CVRA ET
impendio Bartholomæi Georgieuits,
typ. Eg. Copenij.



St
Bibl. Univ. Cluj
Nr. 56.608
10 67